Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36489
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

estimas: sed siquid in me boni habeo. illo suggerente et adiuuan
te completur: A. Non de natura quero sed de actu. Quis enim
dubitat deum omnium creatorem? Hoc mihi respondeas uelim. quod
agis bonum. tuum est an dei? C. Meum et dei. ut ego operer: et ille
adiuuet. A. Et quomodo hec omnium opinio est quod dei auferas
gratiam. et quicquid homines agunt. proprie tantum adseras uolun
tati? C. Miror attice cur erroris alieni a me causas rati
onesque flagites. et id queras quod scriptum non est. cum perspicuum sit quid
perscripserim. Dixi hominem posse sine peccato esse si uelit. Numquid
addidi absque dei gratia? A. Sed ex eo quod non addidisti uideris ne
gasse. C. Immo ex eo quod negaui dixisse estimandus sum. Neque enim
quicquid non dicimus negare arbitrandi sumus. A. Confiteris ergo posse
hominem sine peccato esse si uelit. cum dei gratia? C. Non solum fatebor:
sed et libere proclamabo. A. Errat ergo qui dei tollit gratiam? C. Errat.
quin potius arbitrandus est impius. cum dei nutu omnia gubernentur. et
hoc quod sumus et habemus adpetitui proprie uoluntatis. dei conditoris
sit beneficium. Ut enim liberum possideamus arbitrium. et uel ad bonam
uel ad malam partem declinemus propria uoluntate. eius est gratie qui nos ad
imaginem et similitudinem suam tales condidit. A. Nulli o cretobole
dubium est. ex eius cuncta pendere iudicio qui creator est omnium. et
quicquid habemus illius beneficio deputandum. Sed quero hoc ipsum quod
dei asseris gratie. ad conditionis refellas beneficium. an in singulis
rebus putas esse quas gerimus. ut scilicet illius in omnibus utamur
auxilio. an semel ab eo liberi arbitrii conditi. nostra uolunta
te uel uiribus agamus quod uolumus. Noui enim plerosque uestrum ad dei cuncta
referre gratiam. ut non in partibus sed in genere. hoc est nequaquam in
singulis rebus. sed in conditionis et arbitrii intellegant potesta
te. C. Est ita ut autumas. sed a me utrumque dicitur. et ut dei gratie sit
quod tales conditi sumus. et per singula opera ipsius adminiculo fulcia
mur: A. Constat ergo ut in nos in bonis operibus post propriam uolun
tatem dei nos niti adiutorio. in malis diaboli. C. Constat et super
hoc nulla contentio est. A. Male ergo sentiunt. qui per singulas res